



POPPAEA Sabina, Tito Olio Quæstorio patre nata, Neronis vxor fuit, quam duodecimo die post diuortiũ Octauia in matrimonium accepit. hanc dilexit vnice: & tamen ipsam quoque ic̄tu calcis occidit, quòd se ex aurigatione serò reuersum grauida & ægra conuiciis inceserat. hæc antea nupserat Rufo Crispino Equiti Romano. huic Poppeæ omnia alia fuere præter honestum animum: sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam præferebat, & lasciuia tamen vtebatur: famæ nunquam percit, maritos & adulteros non distinguens. Vide Sucto. in Nerone. hæc luxu supramodum diffluebat, autore Plin. li. 34. cap. 11. in hæc verba: *Nostra ætate Poppea coniux Neronis principis, delicatioribus iumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.*

STATILIA Messalina (altera quidẽ à Valeria illa Messalina Claudij vxore, de qua à nobis dictum est supra) vxor quoque fuit Neronis: hæc vt potiretur, virum eius Atticum Vestinũ Consulẽ in honore ipso trucidauit. Hæc erat Statilij Tauri bis Consulis, ac triumphalis, abneptis. Taurus hic temporibus Augusti amphitheatrum Romæ extruxerat. fuit alter eiusdem nominis, huius, vt opinor, Messalinæ frater, qui ob opes & hortos egregios, quibus Agrippina inhiabat, accusatus, vim vitæ suæ attulit. Sueton. in Nerone.